



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *INSULARUM MARSHALLENSIUM* IN

TERRITORIO INSULARUM MARSHALLENSIUM A DIOECESI

CAROLINENSIIUM-MARSHALLENSIUM DISTRACTO, PRAELATURA

TERRITORIALIS ERIGITUR INSULARUM MARSHALLENSIUM APPELLANDA Quo expeditius

spirituali Christifidelium bono nec non aptius et efficacius Evangelizationis operae in Insulis

Marshallensibus consuleretur, opportunum visum est hoc territorium a dioecesi Carolinensium-

Marshallensium, ad quam usque nunc pertinebat, distrahere, et novam ibi Apostolicam

Praefecturam Insularum Marshallensium nuncupatam erigere. Ideo, re mature deliberata auditoque

voto Venerabilis Fratris Thomae A. White, Archiepiscopi titulo Sebanensis atque Delegati

Apostolici in Oceano Pacifico, nec non Congregationis pro Gentium Evangelizatione, supra dictum

territorium Reipublicae Insularum Marshallensium constituimus apostolicam praefecturam

Insularum Marshallensium nuncupandam, quam provinciae ecclesiae Aganiensi

suffraganeam volumus et assiduae pastoralis curae Societatis Iesu committimus, simulque

statuimus dioecesim remanentem Carolinensium nomine appellari, seu vulgo « Caroline Islands », dempto titulo Marshallensium. Sedem novae Praelaturae in urbe Dalap-Uliga-Darrit ponimus, quae

est caput istius Reipublicae « Marshall Islands » vulgo appellatae, sacramque ibidem aedem ad

gradum cathedralis ecclesiae evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi templa

spectant. Ad sacrorum alumnorum institutionem quod attinet, iuris communis serventur praescripta, minime Congregationis pro Institutione Catholica neglectis praeceptis. Quod autem ad novae

Praelaturae pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, « sede vacante »

Administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri canones

praescribunt. Simul ac novae Praelaturae constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes

Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero

sacerdotes Seminarii que tirones et quilibet clerici illi sedi in cuius territorio legitimum detinent

domicilium. Documenta autem et acta quae conditam Praelaturam respiciunt, ad eiusdem Curiam

mittantur atque ibidem in tabulario serventur. Haec autem, quae praescripsimus, committimus

perficienda Venerabili Fratri Thomae A. White, Archiepiscopo titulo Sebanensi et Delegato

Apostolico in Oceano Pacifico, vel, absente eo, illi qui negotia curat Apostolicae Sedis in eadem

regione, ac omnes eis tribuimus necessarias et convenientes facultates, etiam subdelegandi

quemvis virum in dignitate ecclesiastica constitutum, onere imposito ad Congregationem pro

Gentium Evangelizatione sincerum actus effectae exsecutionis exemplar sedulo mittendi. Has denique Litteras Nostras firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus haud quaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo tertio mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

<p>ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i></p>	<p>IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i></p>
---	---

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Anotnius Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXV (1993), n. 10, pp. 876-878

© Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana